IOANNIS IACOBI ADRIÆ

LIBER DE LAVDIBVS VIRTVTIS ET EPISTVLA AD CONIVGEM

ITERVM IN LVCEM EDIDIT LYCEVM GYMNASIVM MAZARENSE
CLARISSIMO CIVI DICATVM
QVINTO CENTESIMO ANNO POST ILLVM NATVM
CVRANTE IOANNE DI STEFANO PRÆSIDE

VERSIBVS ITALICIS REDDIDIT
IOANNES FRANCISCVS NVZZO

IOANNIS IACOBI ADRIÆ

LIBER DE LAVDIBVS VIRTVTIS ET EPISTVLA AD CONIVGEM

ITERVM IN LVCEM EDIDIT LYCEVM GYMNASIVM MAZARENSE
CLARISSIMO CIVI DICATVM
QVINTO CENTESIMO ANNO POST ILLVM NATVM
CVRANTE IOANNE DI STEFANO PRÆSIDE

VERSIBVS ITALICIS REDDIDIT
IOANNES FRANCISCVS NVZZO

DE LAVDIBVS VIRTVTIS

·IN·MEDIO·
·CONSISTIT·VIRTVS
·IOANNES·IACO ADRIA·

Illustrissimo Domino
Hugoni Moncadae
Clementissimo Siciliae Pro Regi
Joannes Jacobus Adria
Siculus et Mazariensis
Artium et Medicinae Doctor
S.P.D.

Quum aliqua ex Minerva nostra animi relaxandi gratia emanarent, Illustrissime Princeps, nostri saeculi decus, quae mihi optima visa sunt excerpsi. Itaque numini Tuo dedicavi, ut radiis Tui nominis illustrata perpetuitatem (si modo digna sunt) sortiantur: Tu enim humanarum et divinarum rerum perscrutator aevo nostro tamquam sidus fulgentissimus apparuisti.

Sed si non ita et facunda et fecunda fuerint, ut par erat, Aesculapii laboribus, quos me res angusta cogit subire, ascribito.

Sunt ita umilia ut benignas mentes hominum placent et interim afficiant. Tu vero si hilari fronte opusculum susceperis, illud dicam «Ita luat iras» – sicut Agamemnon.

JOANNES JACOBVS ADRIA
ad lectorem

Quisquis ades, lector, sublimia pectora tende.
Omnia labuntur: fluminis instar eunt.
Divitiae stabiles non sunt, non copia rerum,
vix hominum rerum forma benigna manet.
Non stabilem gressum firmat iam grata voluptas,
imperium, regnum, gloria fluxa cadunt.
Omnia praetereunt, consumit longa vetustas
omnia: si nescis, praeterit ista dies.
Inclyta sed Virtus constat post fata perennis,
durat in aeternum nomen honosque suum.
Viribus huic igitur fas est incumbere totis.
Post fatum vivit: cetera mortis erunt.
Hanc lege et hanc penitus firmo sub pectore condas.
Aetherias sedes te docet illa vias,
hic ubi perpetuo resonant mandata Tonantis
angelicusque sonus consonat ora Dei.
Illic perpetuo lex sancta est iusque piumque
et fulget ritus cunctus et ordo sacer.

DE LAVDIBVS MARIÆ VIRGINIS
Discedens Mazaria ad Studium
Parthenopaeum
MDIII

Virgo Dei mater, matrum sanctissima mater,
    inter foemineum foemina prima genus,
Inter virgineas Tu fis dulcissima Virgo
    atque puellarum prima puella Dei.
Tu pia lux miseris, decus Cui summa potestas,
    Te sine quis felix vivere posse putat?
Tu dilecta Dei mater, Tu Sponsa vocaris,
    lumina Tu mundi, gloria celsa poli,
Cui chorus angelicus circum pia turba ministrat,
    imperium donat, sceptra benigna Deus,
dulcia Quam coeli circum sunt organa cantus,
    carmine perpetuo plectra, lyraeque sonant,
lumine Cui Titan Manes et Tartara Ditis
    Cui cedit tellus pontus et astra simul.
Ad Te confugio, Virgo, dulcissima Virgo:
    praesidium praesta, Virgo, favente Deo.
Est in Te pietas, Tibi sunt et sceptra polorum,
    laus hominum, Virgo, spesque fatusque fides.
Iustitia et Bonitas Virtus Clementia crescit,
    lis fugit atque Odium, iurgia nulla cupis.
Effice Tu precibus ne ianua claudat Averni,
    ast animas nostras suscipe, Virgo, reas.
Imus ad aetherias Te nos interprete sedes,
    in coelum per Te, Virgo, patescit iter.
Virgo decus coeli semper mortalibus unum,
    praesidium miseris, gloria digna, fides:
et revoces pestemque famem bellumque coerce,
    insidias hominum turpiter aura ferat.

Lumina quae virtus sis et spes vita decusque
atque hominum splendor gloria semper eris.
Tu das infirmo languenti saepe salutem
qui vocat in vita lucida dexter ades.
Quisque procellosas Neptuni mitigat undas?
Nubila quisque Iovis detrahit alta domo?
Tu miseris Lucina faves parientibus alma,
Militibus pariter quom fremit arma iecur.
Tu decus eximium, Tu lux clarissima nobis,
quos miseros fessos hospita terra tenet.
Alma Dei veneranda parens, sanctissima Virgo,
profugium semper, portus et aura Tuis.
Tu patriae lumenque Tuae quoque gloria gentis,
cuius et in toto creditur orbe fides.
Quid tam parva loquor? Mundi coelique supernam
quisque vocat, nobis gloria summus honos.
Adsis et faveas nostris modo consule coeptis,
qui venio miles Palladis arma novus,
qui nunc discedo et Trinacria littora linquo:
da facilem cursum numen et aura meum.
Non Boreas poterit nec Orion sumere vires,
Hyppotades ventos clauserit arce sua.
Saturni sidus placidum quoque Martis eunti,
ne medio cursu naufraga puppis eat.
Maxima Tu laus, Quae regnas per saecula semper,
profugium praestes auxiliumque precor:
sis facilis, mitis, clemens, pietate benigna,
exaudi nostras, Virgo beata, preces.

IN EANDEM
Ad Mazarienses

Virgo, quid est? Tu nostra salus, heu, deprecor alma:
    custodi miseros. Machina nostra ruit.
Annuit et mundi domina et regina polorum
    risit: «Semper iter lumine pando meo».
Christiferae laudes dominae cantate parenti,
    Quae super astrigeros est decorata polos.
Laudibus innumeris mater veneranda Tonantis
    angelicis digna est Illa canenda choris.
Illa Deum terris dedit et solacia coelo,
    Illa sacrum numen iam deitatis habet.
Quicquid habet coelum radiatur lumine Cuius,
    Qua sine iam mundo nulla salusque foret.
Illa salus hominum, spes est et vita decusque:
    gloria, splendor adest clara lucerna poli.
Matre iuvante Dei coelorum panditur aula,
    claudere Quaeve potest et reserare fores.
Saepe dat infirmis languentibus Illa salutem
    et morbos, bellum pellit et Illa famem.
Et Lucina favet miseris parientibus alma,
    auxilio Cuius nulla pericla nocent.
Illa procelloso depellit nubila coelo
    et vehit ad portum praevia stella rates.
Nullus in hoc pelago sine numine Virginis huius
    denique tutus adest nec, puto, salvus erit.
Si modo nulla fides nostris adhibenda Camenis,
    sit tamen hoc verum: cernite templa Sua.
Invenietis enim depictis plena tabellis
    quae miranda canunt milia mille modis.

Si cupitis scaevas divertere iudicis iras,
    Hanc ornate piam, Quae tulit alma Deum.
Semper adesse solet miseris mortalibus ultro
    atque votata solet parcere saepe reis.
Et regina Deum meritis haec inclita placat,
    iudicium vertit Virgo superna Dei.
Ergo precor, cives, dominam laudate polorum,
    ut vobis faveat fundite, quaeso, preces.
Illi vos tota moneo committite mente:
    auxilium cunctis praesidiumque dabit.
Quae dulcis, pia, semper clemens Virgo Maria
    exaudit nostras iam veneranda preces.

DE LAVDIBVS EIVSDEM

Virgo salus hominum, Virgo pietatis alumna,
Virgo decus coeli mater et alma Dei:
salve, nostra salus, spes o clarissima saecli,
Quae regina poli maxima regna tenes,
alma vel veneranda parens, Tu diva Tonantis
aula sacra, o Virgo, Tu deitatis ades.
Inclyta Quae superas niveas bonitate columbas
et super angelicos es veneranda choros:
vitaque dulcedo et spes Tu clarissima mundi,
Quae miseris semper portus et aura venis.
Tu placuisti regi ex omni parte superno
nec fuit in toto corpore menda Tuo.
Sponsa Tui nati, genitrix et filia sancti,
divinum imperium cum Patre semper habes,
est Tibi, diva potens, data summa potentia saecli.
Tu lumen coeli, Virgo, decusque via,
unica, Virgo, potes miseris conferre salutem:
plurima Quae superas, respice vota preces.
Astra poli niveo superas dulcissima vultu,
inter tot divinum sidera sola micas.
Emeritum nati petimus compesce furorem,
astrigeras clausas crimine pande fores.
Fac nostras animas nec iuana claudat Averni
aetheriasque petant, Te miserante, domos.
Tu populis pestem bellumque famemque coerces,
omnia Tu nobis et nocitura tenes,
spirituum insidias et da superare nocentum
et delictorum vincula solve reis.

Ianua Te coeli, via mundi, vita salusque,
stella maris, portus profugiumque reis
Per Te iam capiet confortia quisque Tonantis,
Te sine iam nullus scandet ad astra poli.
Tu varios pellis casus durosque labores
et Tu cuncta viris tristia damna levas.
Tu pia sollicitos refoves, Tu pressa catenis
colla regis, iustis veraque certa salus.
Si quis pro vitiis horret iam iudicis iram,
per Te flectetur iudicis ira iecur.
Si quis vel pestem bellumque famemque timebit,
Te roget atque Tuo numine tutus erit.
Ad Te confugiat siquis fert vulnera mortis:
protinus ipse Tuum sentiet auxilium.
Sunt Tibi devoti pueri iuvenesque senesque
quisque Tuo semper numine tutus erit.
Sis facilis precibus, devotos respice servos,
qui Tibi committunt spemque fidemque suam.



EPITAPHIVM DOMINÆ BEATRICIS
Serenissimae Reginae Hungariae Boemiaeque
MDVIII XIII Septembris
in castello Capuano Neapoli mortua fuit

Nascimur et morimur: tale Natura ministrat
mundanis legem: frangere nemo potest.
Sic pereunt mundi fastus; tum gloria, pompa,
imperium, regnum labitur omne genus.
Quid fuerit Regina patet genus omne suorum,
iam canitur toto nomen in orbe suum.
Rex avus Italiae fuerat, Mars saevus et audax,
Pompeius, Caesar viribus Hector erat.
Rex pater Italiae fuerat, rex gloria regum:
vis sua quae fuerit Turcus in arma docet.
Rex erat Alfonsus frater, qui terruit orbem:
tam fortis bello miles habendus erat.
Rex Federicus erat frater, vir summus in armis,
magnificusque potens armiger altus erat.
Rex quoque Fernandus, qui Alfonsi maxima proles
cum Iove bellasset, si sibi regna neget.
Et soror et mater, tam magna potentia mundi,
iam regina fuit, gloria celsa virum.
Rex erat auditor Mathias summus in orbe,
cui primo iunxit viscera digna viro.
Rexque Ladislaus, qui multum distat ab illo,
intravit thalamos Pannoniaeque fuit.
At Regina gravis, praestans semperque decora,
officiis constans, relligione Numa.
Bellatrix, sapiens, pia, iusta humilisque, benigna:
dum fuit in vita fama perennis erit.
Ad tantum funus, regali funere clausum,
dicere digneris: «Terque quaterque vale».

DE RECESSV REVERENDISSIMI DOMINI
DOMINI EPISCOPI MAZARIENSIS
JOANNIS VILLAMARINAE
ad inclytam civitatem Mazariae ad concelebrandum noviter festum Sanctissimi Salvatoris VI Augusti, in quo die sacro a successoribus Christi siquis accedet omnium peccatorum remissionem habet.
MDIX

Ibitis et Siculum classis sulcaverit aequor
et semper studium continet ora meum,
mox ubi Parthenopem linquis, dignissime praesul,
atque animus summus cogit amare Deum.
I foelix: dignum capiet formosa Selinys,
quae regem Alfonsum cepit in arce sua,
inclyta Martinum prisco iam tempore regem,
reginam uxorem magnanimosque duces.
Suntque triumphales illic tua praemia laudes
et capies summas (gloria mixta iocis).
Illic magna sonent et tympana et organa cantus,
adventum domini concinet ipsa dies.
Hinc tibi palma cadet, florentis ramus olivae,
hinc violae flores: tum via pannus erit.
Et tibi sacra canent, celebrabunt vota ministri,
altare ad nostrum Victima sacra cadet.
Nobilis en veniet, veniet formosa iuventus,
magnanimus miles, gloria summa viri.
Optimus en pater et mater te visere magnum
et veniet properans cetera turba virum.
Seskera digna ruit, foelix dulcisque Panhormus
virque Symaethius en grandia dona feret.
Ast Agragas altus gaudet magnusque per orbem
iam veniet magno sacra referre Deo.
Invictum Drepanum veniet, mons regis Acestae,
splendida prae cunctis iam Lilybaeon erit.
Quidve alias terras? Properent ad festa venire
quom sapient magno sacra referre Deo.

Tu, Pater omnipotens, coelorum gloria summa,
qui mare, qui terras luce perenne luis,
Vite simul, Virgo Crescentia, sancte Modeste,
qui patriae domini, gloria magna, fides:
adsis et faveas classemque piissime serva
et facili cursu dirige vela maris.
Crudeles ventos vincas et carcere dignos
comprime, ne veniat naufraga puppis aquam.
Sit tranquilla dies, sint iam Neptunia regna
navita dum possit solvere quicquid erit.
En dulcis Boreas depellat nubila coelo
vel Zephirus vobis carbasa plena ferat.
Atrox ille malus sistat nimbosus Orion,
Pollux et Castor sidera clara iuvent.
Phoebus in aurato curru iam surgat ab ortu,
Phoebes per noctem lucida signa micent.
Ut Styx atra videt Martem et Saturnia regna
Iuppiter omnipotens surgat et alma Venus.
Sic hilaris classis tutum per litora portet,
incolumem patriae vexerit ante diem.
Invalidus vires est Adria scribere laudes:
Musa meis numeris contulit omne decus.
Quae potui misi: nam si tibi munera nostra
non sapiunt vires, pectora sume, precor.
Te cupit atque colit semper fidusque Joannes
iamque Jacobus adest semper in omne tuus.

IOCVNDA EXHORTATIO AD FRATREM SVVM
Philippum Antonium Adriam
Mazariensem
ad studium bonarum disciplinarum

Quisquis amat studium, dimittat amare puellas
ne pereat: studium nolit amare dolos.
Dumque Amor ipse volat, currenti cede furori,
fac ne te offendat, si liber esse cupis.
Namque Cupidineo fueris si accensus amore
difficile est illum linquere quando voles.
Quis nescit quantis versetur vita periclis
et facili cursu labitur ipsa dies?
Effuge, si summe in te figit tela Cupido:
est studii laudes carpere dulce decus.
Hei mihi! Quid tutum est, dicas, in amore? Dolores,
iurgia, rumores, gaudia nulla quies,
ira, odium, lis: durum est ferri regna puellae
in dominos captos, quom fremit ira iecur.
Multa supercilio conantur reddere verba,
arbitrio, credas, verba molesta tuo.
Alcides Iolen vires dimisit amando,
Pyramon et Tysben turpiter ussit amor.
Dic et Abidenus quid Seston fecit amando?
Adsiduo tandem tramite vita perit.
Quidve alios referam, quos iam Venus anxia pressit?
Innumeri Veneris turpiter arma gerunt.
Te precor ut mittas dulces iam carpere flores
ne pereat multis gloria mixta iocis.
Quid melius studio lector consumere tempus
tempore quam vacuo perdere cuncta bona?
Dat studium nobis summas contingere laudes,
insidias donat perdere quemque ioci.

Pallas adest studio, capiti deducta paterno,
scandere quae faciet dulciter alta poli.
Pallas amat doctos, Pallas nova causa triumphi
militiam semper firmat in orbe suam.
Illa suos colit, illa suis iam praemia donat,
illa vehit cunctos Pallas ad astra choros.
Quam Venus otia temptat, tantum Pallas honores
quae parat invitos ardua summa sequi.
Desidiam Venus, haec optat temptare labores,
magnanimos colit haec, molliter illa viros.
Ergo ades atque illam mitte: hanc tu suscipe laetus.
Sic decus eximium, gloria summa tuis.

NICHII
IVDICIO
TVO4
TACVIMVS
SAGHOSTINVS

ORATIO DE STVDIO BONARVM ARTIVM
coram clarissimo Collegio Salernitanorum et omni populo cum sui doctoratus puncta disseruit. Natali Sancti Petri martyris
MDX

Grande onus quom hodie coram hoc almo Collegio susceperim, Clarissimi Doctores, corporis ingeniique vires non possunt non tremiscere. Ideo Dei Optimi Maximi auxilium implorandum esse censeo:

Tu, Pater omnipotens, coelorum gloria summa,
qui mare, qui terras luce perenne micas,
Tu, pia lux miseris, spes o fidissima mundi:
Te sine quis felix vivere posse putat?
Adsis et faveas, classemque piissime serva
et facili cursu dirige vela mari.

Hic illustrium oratorum ad puncta mihi hodie recitanda facundia opus hercle foret. Verum quantum mihi copia dicendi fuerit, ne aliorum sequar ambages, ad puncta recitanda me confero. Artis et Medicinae puncta clarissime recitavimus et disputavimus, quibus disputatis, Doctoratus coronas laureas nobis contulerunt. Et postquam iuramenta et Doctoratus sollemnia praestiterunt, coram populo hanc orationem de studio oravimus.

Exordium

Quamquam parva sit ingenii nostri capacitas, Clarissimi Doctores, preaesertim magna exprimere cupientes deficiunt vires, tamen quoad potero hodierna die de studio quidpiam commemorare breviter enitar, cum Gorgiae Siculi Leontini, Ciceronis Arpinatis, Demosthenis aliorumque illustrium oratorum facundia opus hercle foret, qui perspicacissimo ingenio ingentique doctrina fulserunt.

Narratio

Quicquid in orbe terrarum esse intueor, causam nil aliud esse nisi studium, cuius omnes gratia nitimur incendimurque cum ad gloriam tum ad nostrorum famam atque summam laudem rerum ut apicem attingere valeamus.

Divisio

Ideo de ipsius magnitudine prius, mox de honore, postmodum de aeternitate dicendum esse duxi.

De magnitudine

Quum etenim in rerum natura plurimae sint artes quae ab hominum ingeniis defluant, cum studio iudicandae minimae forent. Illud namque est quod qui id ipsum imitantur magnanimos efficit. Erigit illos ex ima et infima propagine natos, magna altaque attingere cogit. Ex infelici felicem, ex insolerti solertem, ex pravo studiosum, ex minimo magnum, ex paupere divitem studium fere hominem esse coartat. Hoc doctorum in coetu saepenumero videre contingit omnibus curis liberos, omni fulgere virtutis saeptos. Sola optimaque virtus felicitatem hominis implet.

De honore

Quid Diodorum Siculum Agirensem, Mantuanum Maronem, Flaccum Horatium Venusinum, Agrigentinum Empedoclem, quorum natales assidue in manibus habemus, nisi bonarum disciplinarum studii honos claros credidit?

Confirmatio

Apud Tiberium Caesarem imperatorem Diodorus Siculus, apud Octavium Caesarem Vergilius, apud senatum populumque Romanum Tullius, apud Athenarum clarissimos imperatores Empedocles, plerique alii apud varias mundi gentes claruerunt.

Quid dicam de schola Athenarum et Romanorum? Quid de antiquo Gymnasio Salernitanorum? (Civitas enim Hippocratica appellatur). Quae in Medicina ac Philosophia rerum domina semper extitit, adhuc etiam usque ad diem hodiernum certe floret. Non clarissimos medicos memorem, quorum numerus infinitus foret, qui totum terrarum orbem suis clarissimis medelis decoraverunt. Et si quid nunc medicinae remanet, ab illis originem traxit.

Quis negat *Antidotarium* Nicolai? *Librum Pandectarum* Mathei Silvatici? *De regimine sanitatis* Egidium? Aliosque plurimos veteres Salernitanos et illos qui ad tempora nostra clarent taceo. Non Suessanum praeceptorem meum Augustinum Niphum in orbe clarissimum silentio pertranseam, non promotorem meum Dominum Lucam Staivanum de Maioro, quorum laudes iam gloria fama refert. Quidve dicam de Studio Neapolitanorum, ab inclytis Regibus Aragonum condito? Quod pluribus annis me dulciter aluit. Quid Thomistarum et Scotizantium? Quorum frequentiam ingenio solerti vestrorum illustrium Dominorum (quod bonarum artium indagator extat) dimittimus: qui si aliquid habuerunt dignitatis et honoris, litterarum studio tribuendum est.

De aeternitate

Eorum nomina litterario otio aeterna remanent, ex mortalitate immortalitatem, qua nihil felicius iocundiusque in homine esse potest. Quanta Doctorum caterva inter sidera relata extiterit, centenis equidem linguis explicare nequirem: vos petit iste labor qui eorum numero referri potestis. Illorum doctrinam quis ignorat? Qui ab omni barbara lingua barbariem expulerunt, lucida claraque hominum ingenia reddiderunt, multas nationes omni vitiorum genere infectas ad virtutem impulerunt. Quibus gratias agere debemus, qui nobis viam ad virtutem et iter ad aeterna sidera praestiterunt.

Hoc est illud diu conditum tamque religio multos venerata per annos, quae immaculata remanet semper et intacta.

O felix gloria, iocunda fama et praeclara dignitas studio acquisita, te cunctis prosequentibus digna:

Confirmatio

Felices animae quibus haec cognoscere primum
inque domos superas scandere cura fuit.
Credibile est illos pariter vitiisque iocisque
altius humanis exseruisse caput.

Confutatio

Non Venus et vinum sublimia pectora fregit
officiumque fori militiaeque labor:
nec lenis ambitio perfusaque gloria fuco
magnarumve fames sollicitavit opum.

Verumtamen, Clarissimi Doctores, ne taedio afficiamini, finem dicendi facio. Hoc unum ergo studium prae luminibus habere debeamus: hoc amemus et diligenti cura sectemur, quod ingentem dicendi copiam et laborum nostrorum praemia donabit.

Vobis autem, o nobiles clarissimi Doctores atque generosi auditores, quorum auribus dicendo fretus sum ingentesque maximas gratia agimus.
Valete dixi.

Celebratur gaudium amicorum Dominum
JOANNEM JACOBVM ADRIAM SELINVNTINVM
Doctorem et incolumem in patriam rediisse per
ANTONIVM SPECIALEM PANHORMITANVM

Sicaniae dominum retulit quum fama Joannes
Parthenopes clarum deseruisse solum,
a Iove caeruleo meritis exposcere votis
coepimus ut tumidas ponere vellet aquas
et placido sineret navim decurrere ponto,
insignem postquam devehit illa virum.
Audiit haec animo facili Pater ipse, potentem
moverunt subito candida vota deum.
Nunc petit ista dies epulis assurgere divis
coeptaque pro reditu solvere vota iubet.
Urere thura focis monet haec et spargere odores
Assyrios: Cressis est veneranda notis.
Elyseis igitur placeat contendere ludis
et choreas pedibus claudere amica cohors.
Nunc est potandum, liceat nunc poscere Bacchi
munera, quae tantum pocula nostra iuvent.
Convenit ut madeant quadrimo vasa Lyaeo:
proelia miscebit fortius ipse deus.
Hunc studeant famuli veteres afferre Phalernos
promereque e plenis Caecuba vina cadis.
Adsit hic Genius laetos habiturus honores,
quem deceat sertis implicuisse caput.
Expedit his dapibus sacras accire Sorores,
quae recinant modulis carmina digna suis.
Sint procul immites curae, nova gaudia surgant,
praestet in adsiduis vivere deliciis.
Sospes adest quoniam Siculas devectus ad oras,
ob quem praestitimus tot sacra, vota, preces.

Compositum placidis rapidum mare constitit undis,
    ne foret insanis obruta puppis aquis.
Inque simul regni periisset fama Sicani,
    ornatam meritis quam dedit ille suis,
nec modicam potuit Latiis praestare triumphis
    atque etiam titulis, Graecia clara, tuis.
Nulla sub eximio micuit duce gloria tantum,
    ascribat quamvis tot sibi prisca fides.
Solus enim veteres potuit vicisse Joannes
    et quos mirantur saecula nostra viros.
Naturae leges sapit hic, primordia rerum
    continet et quae sit maxima vis animi
quive Opifex hominum fuerit, quae summa potestas
    disposita aeterno numine cuncta regat.
Monte polos agili complectitur: inde meatus
    astrorum et quaenam sidera in axe micent.
Humida quotque sibi terreno corpore Mater
    contrahit affectis perniciosa viris,
hic tamen implicitis morbo pressisque maligna
    febre salutiferam protinus aptat opem.
Adde quod Aonio decoratus carmine, vates,
    magna licet fuerint quae cecinere, sapit.
Quid moror? Aetherio genitus de sanguine, terras
    incolit, ut pateat vis memoranda poli.
Eia igitur, recinamus io divosque precemur
    ne dolor infandus gaudia contaminet.

IDEM
in pristinam sanitatem restitutus
ad Magnificum Dominum
JOANNEM JACOBVM
Medicum eximium Hospitalis
felicis urbis Panhormi

Non mihi divitiae, non vasti iugera campi
nec sunt fructiferi praedia culta soli.
Heu! Cunctis invisa locis gravis urget Egestas
pauperiemque pati nos Dea caeca iubet.
Artemur quamvis reprimentis pondere fati,
illa solet nostris durior esse malis.
Quare age: si nullum dedimus tibi munus, amice,
parce precor, vincis qui modo Phylliridem,
Qui veteres pietate viros excellis et omnis
inclyta maiorum gloria victa tua est.
Si numquam lacerasset opes Fortuna paternas,
tradiderim facili plurima dona manu!
Tu tamen interdum praesentia carmina sume:
pauperis hoc tantum munera vatis erunt.


I·N·R·I

TROPÆVM DE DIVINIS LAVDIBVS

Nunc querulas voces et tristes fundere fletus
    est opus et cinere est spargere triste caput.
Assyrio interdum perfusus rore capillos
    lusi: nunc vero decidat omnis amor.
Lusimus et varias quas grato in vere corollas
    flos dabat, his fuerant tempora cincta rosis:
tempora fragrabant prius haec mea thure Sabaeo,
    tristibus heu lacrimis ora cruenta madent,
nec vagor urbe: dolor vexat praecordia, cantus
    nox iuvat et late consona plectra lyrae.
Unguentum velles et pocula grata corollae
    et Venus: hinc valeant, sit quoque muta lyra.
Quid iuvat ore decor molles componere vultus?
    Sit tenuis maesto corpore cultus honos.
Flebilis ista dies, mihi flebile fundere carmen
    contigit: hinc lacrimis crimina quisque luat.
Sit niveus color et placide praestantia formae,
    iam procul ornata sit procul arte coma.
Purpura nulla nitet, nullis obnoxia gemmis
    corpora sine claris instita nigra tegat.
Quumque Protoplausti fraus noxia perdidit omnes,
    heu, genus humanum hac undique morte ruit.
Eripere hinc hominem voluit qui verbera passus
    factus homo sensit vulnera saeva Deus.
Proh scelus! Astra Deum quae coeli numina adorant
    humana immerito caedit iniqua manus.
Herodes, Chaiphas furit, impius Anna, Pilatus
    Teque parant facinus perdere, Christe, dolo.

Quo ruitis saevi? Furor arma dat impius, ardent
in Christum infandas coniciuntque manus.
Flete viri et pariter matres puerique puellae,
plebs fleat et posita synthese quisquis eques.
Morte Sua mortis victor stat Victima ligno
atque Suo tristis pendet ab ore dolor.
Tenditur en crucibus regum Rex atque potentum
omnipotens Dominus, lux, via, vita, salus.
Discipulus pretio illectus qui tradidit unus
bissenis fuerat et sibi morte datum est.
Ille manu comitum Iudas stipatus in hortum
irruit: orabat Christus in hora cadens.
Fune trahunt, Syriam quem tunc gessisse Pilato
offertur, Sancta haec membraque verberibus
praetor iniqua dedit lanient, mandata superbis
militibus Christi polluit arma cruor.
Tum caput heu Christi sic lusit arundine sanctum,
mille pius patitur iurgia, probra, minas.
Ille nihil: gemitus nec murmura pectore voces
non rumpit, tacitus agnus in exitium.
Praesidis illa cohorsque genu saevissima flectens
rex Iudaeum inquit (ludere tentat) ave
et faciem palmis caedit, tum conspuit artus
hos vexat loris impia turba canum,
lusit in obprobrium regem, quem coccina vestit,
cinxerunt sanctum spinea serta caput.
Discessere metu attoniti (Sanctusque Joannes
sistit) discipuli, ter bone Petre, negas.
Progreditur tandem Christus (miserabile dictu)
heu cruce pressus: adit flebilis astra dolor.
Calvarium ascendit colaphis male caesus acerbis,
Golgota divino sanguine tinta rubet.
Imperii lustris tribus audent Caesaris actis
Martius hunc clavis figere mensis erat.
Tunc inter geminos medium affixere nocentes
et patitur dempto fine flagella Deus.
Nam caput in saevis floret tunc sentibus almum
atque manus figit cuspis acuta pedes.
Tempus erat quo Phoebus equis hos lumine campos
lustrat, tunc premitur linea sexta rotis.

Tunc «sitio» clamat: statim sine lege caterva
miscet aceto fel, nec sibi limpha datur.
Centurio ut iunxit Longini protinus hasta
Christi aperit sacrum dextera saeva latus.
O decus horrendi iam gloria framea ferri,
quae haesisti lateri tunc sacra facta Deo!
Namque tuum letale fuit, casta ilia vulnus
sensere: hinc manat sanguis et unda fluit.
«Rex Iudaeorum hic Christus»: sic causa superque
stat caput hanc triplex in cruce lingua notat.
Funera spectatum veniunt iuvenesque puellae,
foemina collacrimans virque senesque puer.
Sicque Sua lapsos delevit morte parentes
crimine mercatus sanguine carne reos.
Perpetuo fuerat cunctis mortalibus ante
nox tenebrosa: dedit saeclā benigna Deus,
ut redeas coelo tibi sunt iam limina aperta
quae prius ut patuit crimine clausit Adam.

IESVS CHRISTVS CRVCIFIXVS
in medio ecclesiae positus omnes ut passionem Suam
Suosque labores et mortem aspiciant piissime horta-
tur et ait:

Quisquis ades mediisque subis iam limina templi,
siste parum insontemque tuo pro crimine passum
respice Me, Me conde animo, Me in pectore serva.
Ille Ego qui casus hominum miseratus acerbos
huc veni pacis promissae interpres et ampla
communis culpae venia, hic clarissima ab alto
reddita lux terris, hic alma salutis imago,
hic tibi sum requies, via recta, potentia, vere
vexillum fidei et signum memorabile vitae.
Te propter vitamque tuam sum Virginis alvum
ingressus, sum factus homo atque horrentia passus
funera nec requiem terrarum in finibus umquam
inveni, sed ubique minas et ubique labores.
Sordida prima mihi in terris magalia, inde
hospitia in partu sociaeque fuere parenti.
Hic mihi fusa dedit bruta inter inertia primum
arida in angustiis praesepibus herba cubile.
Primos in variis vixi regionibus annos,
Herodi regno profugus, reliquosque reversus
in Iuda semperque ieiunia semper et ipsam
pauperiem extremam et rerum inferiora secutus,
semper agens monitis hominumque salubribus almae
ingenia ad studium probitatis aperta salubri
plurima doctrinae iniungens miracula: quare,
impia Jerusalem, rapidis exercita curis
invidiae saevisque odiis et caeca furore
insonti es poenis letalibus ausa cruenta
in cruce terribili mortem mihi quaerere? Quae si

latius ipsa velis distinguas sicque per omnes
ire iuvat gemitus, miseros sentire dolores.
Collige consilia, insidiasve meive nefandum
sanguinis innocui pretium, simulata clientis
oscula et inultus tum sevae iurgia turbae;
verbera praeterea et promptas ad crimina linguas
finge animo et testes et caeci infanda Pilati
iudicia ingentemque humeros et fessa prementem
terga crucem atque graves horrenda ad funera gressus.
At nunc desertum, solum, tum extrema secutum
supplicia et dulci procul a genitrice levatum
vertice ad usque pedem me lustra: respice crines
sanguine concretos et sanguinolenta sub ipsis
colla comis spinisque caput crudelius haustum
undique diva pluens magnum super ora cruorem.
Compressos speculare oculos et luce carentes
afflictasque genas, arentam suspice linguam
felle venenatam et pallentes funere vultus.
Carne manus clavis fixis tractosque lacertos
atque ingens lateris vulnus, fluxum inde fluentem
sanguineum fessosque pedes artusque cruentos.
Flecte genu lignumque Crucis venerabile adora.

FINIS
Deo sit laus et gloria semper
Amen.

Haec tibi pauca satis fuerint, o iuste Monarca:
nam labor et studium plurima dona cupit.
Multa iuvant sed pauca manent, ut Stoicus inquit:
gaudeat hoc parvo munere digna fides.

Quoniam ad agendum praecipue hominem natum animadverti, conatus sum ne frusta tempus consumpsisse viderer, et quum reputarem mecum quid potissimum auderem recte, omne vitae curriculum in quattuor partes dividere constitui.

Quarum primam Salvatori nostro, a quo esse habemus, adsignavi: cuius beneficiorum quum omnes memores esse debemus, ipse ne ingratus videar, passionem Suam, ut Evangelia narrant, pie scripsi; praeterea ipsum crucifixum in medio templi positum scripsi, genus humanum hortantem ut ipsum eiusque vulnera respiciat. Laudes etiam scripsi Suae intemeratae Matris Mariae Virginis.

Secundam partem vitae meae Patriae dedi, quae conservavit deditque bene esse, ut locus conservat locatum, praeceptorem in artibus praestitit: cui ne ingratus videar eius Topographiam et Librum de Valle Mazariae, ut filius, hilari animo scripsi.

Tertiam partem dedi parentibus, amicis, devotis meis, quibus scripsi Librum de Flobotomia Medicorum et Librum de Conservatione Pestilentiae.

Quartam vero partem dedi omnibus in commune bonum, ut me de suis languoribus in arte medica consulerent.

Quae omnia simul adgregando meo Domino Hugoni Siciliae Pro Regi Illustrissimo dicare decrevi.

In quibus omnibus si quid boni est, ago iterum gratias ipsi Redentori litteratosque viros omnes ut bona consulant rogatos volo.

VALE

JOANNIS JACOBI ADRIÆ DE PAVLO
Siculi et Mazariensis
Artium et Medicinae Doctor
opusculum feliciter explicit
impressum in urbe felici Panhormi
MDXV VI Decembris die S. Nicolai
per Joannem et Antonium Pastam,
Regnante Ferdinando Catholico
Rege Siciliae et Castellae.



EPISTVLA AD CONIVGEM

ANTONIVS PRATEVS MANTIANVS
Poeta atque Orator eximius
Mazariensibus S.P.D.

Cum pervenisset in manus meas Epistula admodum Latina atque elegans magnifici Joannis Jacobi Adriae Siculi viri disertissimi more heroum versu elegiaco scripta ad Coniugem Scherinam, volui ad vos, inclyti Cives, illam claram exarare, quoniam dulce est Patriae nomen audire: quam apud maiores nostros antiquam atque praeclaram extitisse legimus: a Patria veluti parente laus hominum profecto dependet.

ADRIA ANTONIÆ

Dic: ubi misit amans novisti protinus illam?
An fuit in dubio littera missa tuo?
Non: nisi novisses intus quod misimus ante,
Adria – sic dices – scribere promptus erat.
Dum timeo: fixit scribenti tela Cupido
iussit et hos elegos scribere mollis amor.
Penelope constans sic lento scripsit Ulixi,
sic et Thesidae Phyllis amica suo.
Misit Abidenus, rescripsit Sexta puella
hocque puellarum provida turba facit.
Carmine quo domino mittit castissima coniunx,
hoc pariter dominae carmine mittat amans
obsequium servans: «Scribas – sine vindice dixit –
consilium distans praesidiumque feres».
Omnia percurrens suspiria corde reduces:
carmine foemineo nostra querela caret.

Non puer in studio vigilat, sed fortior aetas,
magnificat studium docta Minerva meum.
Non bene cognoscit studii fastidia longi:
est puer et mollis mollia iussa tenet.
Nunc amat et ludit nunc apto lusibus aevo:
non firmum studium pectora laesa iuvant.
Flebile cantat amans, scribit quoque flebile carmen:
sic studet ille puer, sic amat ille iocos.
It vagus in tenebris, ludit bona luce paterna,
heu periit studium, nummus et arte puer.
Ast iuvenis constans studio dat cuncta, Minervae
pauperiem et studii tempora vincit amor.
Tempora non numerat sed miscet lapsa futuris,
perficit in studio pectora grata magis.
Vincit amor studii Venerem, quae cetera vincit,
Pallas amans vincit praemia ficta ioco.
Grata mihi Pallas capiti deducta paterno,
quae studium nostrum semper amoena fovet;
grata Venus pueris, Pallas non grata puellis,
non studio cunctos Palladis arma iuvant.
Militat arte Venus, sic militat arte Minerva:
militiam Veneris reicit illa magis.
Magnanimos Pallas colit haec hominumque labores,
aversis studiis militat arte Venus.
Otia tentat amor, saevos parat illa dolores:
diruit illa urbes, elevat illa suos.
Testis ad hoc Phrygiae Paris arbiter ille dearum,
testis ab Aemonio rapta puella viro.
Te sine, dic Pallas, quis noscere possit honores?
Cognita iudiciis tempora cuncta facis.
Philyrides Chiron tua sidera tangit, Apollo,
et labor Herculeus vertice summa tenet.
Nos, tua progenies, sequimur tua numina passim
perpetuumque nomen conferet ante labor.
Miscuimus thalamo quom pectora nostra iugali,
tum felix studio praemia nostra dabo.
Tempora si fuerint, patiemur, longa medelis:
post ea connubio mite levamen eris.
Quolibet adverso iurasti scribere vento
nunc deceptus amans, corruit alma fides.

Non ego crediderim te sic sprevisse maritum:
    verbis atque fide fallitur omnis amor.
Facta canunt omnes: Erato non verba recondit.
    Quid iuvat in thalamum non habuisse fidem?
An tu suspiras? An nunc, Antonia, dormis?
    Quid te cum lacrimis tempora longa iuvant?
Dic: ubi dos tua quam studio mihi saepe parabas?
    Nunc studium nostrum deseruisse queror.
Dic: ubi nobilitas, verborum splendidus ordo?
    Semper amor verus pectore vera canit,
crescit amor dulcis clara sub stirpe parentum,
    nobilitas generis nobile monstrat opus.
Eia igitur, coniunx, studii vincamus amorem,
    vincat amor nummos, poena doloris eat.
Nisiaden Sappho dilexit gnara Phaonem:
    expensis docuit legit et inde virum.
Oenone Paridem Phrygiis dilexit in oris,
    quem docuit tenuit Nympha puella sinu.
Durus at ille Phaon, Paris ille perfidus, ambo
    crudeles: thalamis ast ego gratus ero.
Nos Siculi urbe pares, quos florida substulit aetas,
    divorum sacris iunximus auspiciis.
Est Deus in nobis, quo iuncti vivimus una.
    Siste fidem: coniunx Adria semper erit.
Tu quae, Erycina Venus, nostris regionibus erras,
    auxilio Siculis consule, diva, tuis:
si qua fides, pietas, vertas in amore parentes:
    te sequimur cuncti, mater Amoris, ades.
Aeneam errantem te propter amavit Elissa:
    haec tua quis miseris iura negare potest?
Imperium servas, das iura remittis amoris,
    hoc proprium superos inter honore tenes.
Pollicitis forsan cecidit tuus Adria quondam
    Anne fide? Arte sua pollet utroque modo:
en ego iam studui, studio manet apta iuventus,
    deficiunt nummi, deficit omnis honor.
Et bene grammaticam: Pypleum scandere montem,
    dulcia verba loqui docta Selinys amat;
eloquium felix ornat fecunda Panhormus:
    Parthenope instruxit noscere grande sophos

atque alias artes, rerum cognoscere causas,
ingenium docuit scandere summa poli.
Lector adest Nimphus, qui Suessae fama perennis
Augustinus erit, dum Venus orbe micet:
muniit ipse rasis medicamine in urbe Salerni
et medicaminibus corpora laeta vigent.
Non ego ficta loquor: haec arguit omnia verum.
Quid iuvat humanos tristia damna pati?
Quae potui feci, studii non otia temno:
quid nisi doctoris nomen habere puto?
Vincit honestus amor nostrorum fama decusque,
Mazariae nomen cogit adire domum.
Ast quotiens volui prius ad tua tecta subire
sed pudor oppugnat: docta Minerva cupit.
Et licet oppugnent: amor instat amare puellam,
dimidium vitae distat ab urbe meae.
Trinacrii redeunt docti, nova gaudia terris,
et choreas properant virque puella simul.
Oscula nunc, lacrimas nunc dat lasciva puella,
brachia connectens pendet ab ore suo.
Et studio narrat quaenam sibi fecerit ante,
ut tepido tenuit pulchra puella sinu.
Gaudia, rumores, sibi iurgia summa requirunt:
arte puellari vincitur omnis amor.
Et patriam Calabri docti, multique Tarentum
Brundusiumque petunt Adriacumque sinum;
Gallus amat patriam, Venetus sic ipse relinquit
quisque parat patriam dulce videre suam.
Atque alii diversa petunt per clymata mundi:
divitiae cunctis, gloria, fama, quies.
Ast ego perpetuo studui, stans advena terris!
Advena perpetuo Parthenopeus ero?
Adria Matthaeus pater atque Joanna benigna
vixisset genitrix, Angela cara soror!
Si numquam lacerasset opes fortuna paternas,
haec tibi pro nummis littera nulla foret.
Atque utinam faveat Siculo Trinacria tellus,
illa peregrinis terra benigna suis!
Quicquid ago, adverso semper Fortuna tenore
instat et adsiduas datque refertque vices.

Et licet insistat simili Fortuna tenore:
    ut veniam, patiar multa dolenda reis.
Maestitiam cum fraude parat, sua murmura donat
    alta premitque rotis, infima summa facit.
Has patior miser insidias, passurus in aevum:
    hoc Deus auferat, tristia damna levet!
Credere quis posset nobis? Adversa peracta
    Casibus adversis dicimus esse deam!
Seu mihi nascenti hoc omen dixere parentes,
    numine fatali praedita vita fuit;
sive ita conficiunt caeli communia fata,
    quod patiar semper, gaudia nostra negent.
Quis varios casus narret? Fortuna laborat
    semper et in cursu semper acerba venit.
Tempus erat quo Luna suo iunctissima Phoebo:
    tum Lachesis vitae stamina longa dedit.
Tum periit partu (visu lacrimabile!) mater
    et teneros fletus stridulus ore dedi.
Praeterea Christus cruce tunc sublime pependit
    cui placitum infantem semper acerba pati.
Inde noverca meos lusit crudeliter annos:
    continuo lacrimas verbere passus ego
et tenerum puerum vexabat carmine morsu,
    poenas atque dolos lingua canina dabat.
Optimus inde pater superis discessit ab oris
    – proh dolor! – iudiciis poena dolenda meis.
Nunc mihi paupertas, studium, dolor, omnia surgunt
    surgit et in poenas filia nata meas:
cara patri soboles, dulci pulcherrima forma,
    comprimet ante suam lumina nostra necem.
O deus, humanum miseros quis ferre dolores
    hos poterit? Nobis sarcina magna fuit!
Bella parant Itali Gallos pugnare superbos:
    nunc studium turbant martia bella meum.
Ulterius moreris, Clemens et Feltrae magister:
    omnibus ii studiis dulce levamen erant.
Hispanos liquit Genero spes alta potentum
    rex Fernandus, amans visere Parthenopem,
Italiam venit: tumidumque triremibus aequor
    apparet, portum classibus unda petit.

Parthenopem regina soror Fernandi tenebat:
dum tamen aegra iacet, Mors truculenta rapit.
Me miserum semper fuerint in pectore curae!
Hic dolor e nostris casibus esse velit.
Postea discessi: intonuit coelum, aequora turbat
Aeolus, et puppim merserat unda maris.
Ut vidi Siculos montes, surgentibus Austris,
naufragor in fluctus unde profectus eram.
Insequitur pestis Romae, mala fata ministrant.
Effugi: numero corpora mille cadunt.
Non contenta malis, agitat Fortuna furores
adsiduos: vitae surgit iniqua dolis.
Insidias taceo multas: pressura catenis
colla tenet, studio quae bona cuncta negat.
Forsitan et nobis aliqua est praestantia? Quid tum
dat tamen ex merito gaudia versa dolor?
Quem semel instituit diro Fortuna tenore
opprimere, humanum non iuvat ingenium
huncque per adsiduos casus variosque labores
iactat et innumeris percutit inde malis.
Credite: mendaci non sum de plebe nec ulla
ficta loquor, sed quae perditus experior.
Haec succensa oculos, faciem rugosa, nefanda,
in me crudeli numine saepe ruit
atque meos animi conceptus fraudat et arcet
ingenio quamvis utar et arte fruar.
Ob quod censendus miser est et flebilis ille
adversas in quem Sors rotat usque vices.
Divitibus constans felici numine confert,
maesta venit miseris, munera nulla parat.
Haec licet ignorem: currunt tamen omnia ab alto,
conveniunt nobis gaudia nulla quies.
Est tibi namque pater, fratres, generosa propago,
frugiferae messes et iuga pressa boum
atque patris series, coniunx, matrisque sorores:
nunc tibi dent nummos, denique doctor ero.
Munera non sperno, mihi sunt gratissima semper:
munere nam misso, gratior auctor erit.
Affer opem, Galene, mihi: promissa parentes
en studio dulci mittere iusta negant.

Per tumidum classis quod iam sulcaverit aequor,
per studium, Musas, numina clara, meum,
per Venerem iuro, per gaudia nostra cubilis:
Adria pensabit tempora lapsa memor.
Plus ego quam mater nunc quam tua Seskera digna,
plus ego quam genitor quamque Selinys agam.
Quamvis dives erat Phoebo praesignis et armis,
auxilium et cunctis iura petenda dabat.
Felix illa dies dominam qua quisque vocabit:
«Haec est – dicet amans – digna puella viro».
Spectatum venient et sument gaudia risus,
